



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

7. An etiam Diaconum, subdiaconum, tandem & laicum?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

214 DE NECES. ET MOD. MINIST.  
fiones assumptione: Verum dicimus, eccle-  
siam non respexisse ad articulum extrema  
necessitatis, in quo versamur, vt ex ante di-  
ctis satis manifestum est.

## Q V A E S T I O VII.

*An etiam Diaconum, Subdiaconum, tandem  
& Laicum?*

Quaestionis explicatio.

**C**erta fide tenendum est, solos sacerdo-  
tes esse à Christo praefectos iudices in  
foro sacramentali, vt definitum est in Cō-  
ciliis (a) Constantiensi, (b) Florentino, &  
(c) Tridentino. Reperiuntur nihilominus  
quidam (d) Cañonistæ, qui dubitant, an &  
hoc verum sit in casu necessitatis. Horum  
occasione quaeritur, an in casu pestis cum  
nullus sacerdos haberi possit, liceat vocare  
Diaconum, Subdiaconum, tandem & La-  
icum, ministracionis huius sacramenti pe-  
ritum?

*a In Bulla  
Martini V.*

*b In decreto  
unionis.*

*c Sess. 14. c. 6.  
& can. 10.*

*d Glossa &  
Panormi. in  
c. fures extra  
de furto.*

*Responsio.*

**D**vobus modis potest fieri confessio  
diaconò, subdiacono, vel laico: Vno,  
eadem ratione & animo, quo debet fieri  
sacerdoti, vt scilicet ab illis tanquam à iudi-  
cibus



tibus & ministris etiam virtute clauium remissio peccatorum obtineatur. Altero, vt ipsa humilitate & erubescētia confessionis commoueatur flectaturque magis Dei misericordia erga peccatorem, eoque certius peccatorū remissio, non per Diaconi, subdiaconi, vel laici aliquod ministerium, sed ab ipso solo Deo impetretur. Si loquamur de primo modo, nullo casu, ne extremæ quædam necessitatis, licet prædictis confiteri, quin imo sacrilegium committeret tum is, qui illis confiteretur, tum illi, qui confessionem exciperent, si per potestatem clauium conaretur etiam in extrema necessitate constitutum absolvere, quin etiam absoluentes irregularitatem incurrerent: Siquidem iure (a) canonico omnes illi decernuntur irregulares, qui exercent actum proprium Ordinis, quem non habent: absolutio autem sacramentalis est actus proprius Ordinis sacerdotalis. Si sit sermo de posteriore modo, licebit subinde illorū aliquem aduocare, nunquam tamen tenebitur sic illis confiteri.

Dices i. Beda (b), Gratianus, & post illos D. Thomas dicunt in articulo mortis, si sacerdos absit, confessionem debere fieri laico: ergo magis Diacono & subdiacono.

¶ Illos hoc non dicere, sed morem referre

*a Extra de Cleric. non ordin. c. si quis, & c. in literis.*

*b Apud Magistrum in 4. dist. 17.*



ferre, pro illorum tempore quidam uti solebant.

*a c. fures, extra de furtis.*

Dices secundò: Iure (a) canonico fúr, qui in actuali furto interficitur, priuatur sepultura, si autem Presbytero vel Diacono confessus fuerit, communionem non priuatur: Ergo in articulo mortis non solum licet aduocare Sacerdotem, sed etiam Diaconum? Sic colligunt Glossa & Panormitanus.

*b supra.*

R. Ius Canonicum illo loco non uelle aliud significare, quàm furi pœnitenti, & signa contritionis ostendenti, non esse denegandam communionem: Numerantur autem specialiter Sacerdos & Diaconus, quia à sacerdote potest absolui & communicari: Diaconus autem, quamuis non possit illum sacramentaliter absolvere, potest tamen in illo articulo, ut postea ostendemus, Eucharistiæ sacramentum ministrare, aliàs certum est de fide ex supradictis per Diaconum, vel quemcunque inferiorem, sacramentalem absolutionem impendi non posse.

Dices tertio: Consulendum est peste infectis, si sacerdotes desint, ut confiteantur, siue Diaconis, siue Subdiaconis, siue Laicis?

*c Sotus supr. Medin. de cõfes. q. 28.*

R. Plerosque modernos (b) Doctores

NOB



non consulere, quin imo (a) Nauarrus ex-  
 istimat, peccatum esse mortale, in confessi-  
 one se apud laicum infamare, nisi causam  
 grauis sublit.

Dices 4. Fuitne mos confitendi posteri-  
 ori modo aliquando in praecipuo?

R. Secundum (b) Sotum & Medinam  
 nunquam fuisse, & adeo sensim, non sine  
 grauib. causis desisse, vsque adeo, vt nul-  
 lus omnino vel rarus admodum illius ho-  
 die in Ecclesia sit vsus.

Dices postremo: Poteritne saltem dia-  
 conus in absentia sacerdotis peste infectum  
 ab excommunicatione absoluere?

R. Probabile est posse, quia sicuti ius  
 concedit simplici sacerdoti absolutionem  
 ab excommunicatione, quando ei conce-  
 ditur a peccatis propter extremam necessita-  
 tem morientis, vt ex Concilio Tridentino  
 patet: ita & concedere videtur hoc casu e-  
 andem absolutionem Diacono, cui pro-  
 pter similem necessitatem concedit  
 ministracionem Eucharistiae,  
 vt suo loco ostende-  
 mus.

P. 2. Q. V. A.